

obtruncari mandaverit, ut iustas iniqui facti, ac meritas pœnas luerent. 1538

Aegæo direptionibus, & cladibus emenso, Chariadenus in Cretam iter direxit. Cum summa auctoritate, atque imperio Joannes Maurus insulæ, ut diximus, præerat. Is de Chariadeni adventu certior factus, quæcumque ad Creticum regnum defendendum spectarent, ea summo studio, pari virtute confecerat; cives, atque incolas suasionibus illexerat, urbes, atque oppida præfidiis muniverat, agrestibus hominibus privilegiis donatis, æreque publico obstrictis, in militiam nomina dantibus, solutis, triremes nonnullas armari jusserat; magno mortalium numero ex agris, atque pagis evocato, præfidia auxerat; loca, quibus aditus hosti pateret, occupari mandaverat. Et in his exequendis veteris coloniae Venetæ nobilium, atque illorum, qui beneficii jure Principi obstricti sunt, sedula virtus, & ardens in Rempublicam studium exitit, ut Caliergorum gens, nobilitate, divitiis, atque auctoritate in Creta potens, supra vigintiquinque hominum millia brevi coegerit. His comparatis, hostis adventum, magna spe rerum bene gerendarum subnixi, præstolabantur; qui Cyamo promontorio (*Spatæ caput* a nautis hodie vocatur) superato, qua septemtrionem vergit, insulam prætervectus, usque ad Rhythymnam pervenit. Ibi cum aliquantisper, veluti urbem oppugnaturus, substitisset, ac bellicorum tormentorum, quæ e mœnibus fiebat, displosione, non parum læderetur, in Amphimalum portum, qui hodie *Suda* dicitur, se recepit; a cujus ingressu, quod nondum promontorium in faucibus munitum esset, prohiberi non poterat. Ibi militibus in terram expositis, prædabundus excurrere hostis cœpit, & Cydonem usque, quæ *Canea* hodie nuncupatur, pervenit. Ea urbs situs opportunitate, portu, civium numero inter præcipuas Cretæ censetur: arte ea tempestate parum munita, quod propugnacula, quæ ad austrum extruebantur, minime perfecta forent; ad occidentem solem vetusta mœnia, & parum valida, nullo fere in loco fossis egestis, apparebant. Andreas Gritus Cydoni præerat; mille circiter Itali pedites, Græcorum haud exigua manus urbis in præsidio erant; qui hostes nullo ordine, nullis munitionibus, aut propugnaculis tectos subire conspicati, undique e mœnibus majoribus, ac

*Ioannis Mauri ad Cretam propugnandam sedulitas.*

*Chariadenus Amphimalum portum ingreditur, milites in Cretâ exponit.*